

Nicolaus Petraeus

**Memoriae beatae, virtutibus & || rebus praeclarè gestis || ILLVSTRISSIMI || ...
PRINCIPIS, DN. ADOLPHI, HAEREDIS || NORVEGIAE, DUCIS SCHLESVICI,
HOLSA-||TIAE ... || ORATIO,|| scripta:|| et in Academiâ Rostochiensi publicè || An.
M.D.XCVI. XXVI. Januarii,|| ... habita || à || M. NICOLAO PETRAEO.|| Husano,
Holsato.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1596

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1691565938>

Druck Freier  Zugang



N. Petrus,
R. U. - phil. 7596.

Memoriæ beatæ , virtutibus &
rebus præclarè gestis

ILLVSTRISSIMI
FORTISSIMIQUE HEROIS

AC PRINCIPIS, DN. ADOLPHI, HEREDIS
NORVEGIÆ, DUCIS SCHLESVICI, HOLSAT-
TIÆ, STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ,
COMITIS OLDENBURGI ET DEL-
MENHORSTÆ,

ORATIO,

scripta

*in Academiâ Rostochiensi publice
An. c. 15. 15. XCVI. XXVI. Januarii,
natalitio hujus Herôis die,
habita*

à

M. NICOLAO PETRAEO,
Hufano, Holfato.

ROSTOCHII,
TYPIS MYLIANDRINIS.

Bibliotheca
Academiæ
Rostochiæ

REVERENDISSIMO
ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI,
DN. IOANNI ADOLPHO, POSTULATO ARCHIE-
piscopo Bremensi, Episcopo Lubecensi, Heredi Norve-
giæ, Duci Schlesvici, Holfatiæ, Stormariæ & Dichmar-
siæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorst,
Domino meo clementissimo perennem felici-
tatem precor.



RATIONEM HANC, CELSISSE
Princeps, parenti tuo, & tibi scripsi. Parenti;
ut ipsius memoriam renovarem, virtutes &
res gestas celebrarem. Tibi; ut ob insignem
tuam, quæ me complecteris, clementiâ, grati animi mei
significationem hoc modo, cum alio non possem, declara-
rem. De obitu parentis tui non dixi; erat enim à propo-
sito meo alienum; cum illum alio tempore, si vitam mihi
Deus concesserit incolumem, singulari oratione sim de-
ploraturus. Ut autem hac oratio Celsit: tua eo gratior es-
set, publicè eam in celeberrimâ Rostochiensi Academia
in frequèti clarissimorum virorum & studiosæ iuventutis
conventu XXVI. Jan: ipso die natalitio Parentis tui habui.
Tramitto igitur Celsit: Tis orationem istam; submissèq;
oro, ut C. T. clementi eam vultu suscipiat, & me in poste-
rum quoq; regia & innatâ suâ clementiâ amplectetur.
Rostochio XXVI. Jan: An: c. Io. Io. XCVI.

C. T. Subjectissimus

M. Nicolaus Petrus, Husanus,
Holfanus.

RECTOR ACADEMIÆ
 ROSTOCHIENSIS
 HENRICVS CAMERARIVS
 Philosophiæ & J. u. Doctor &
 Professor.



Rastinus dies, natalis est Illustrissimi fortissimiq; prin-
 cipis ac Herois, domini ADO LPHI, heredis Nor-
 uegiæ, Ducis Slesuici, Holsatiæ, Stormariæ & Dith-
 marsiæ, &c. laudatissima recordationis ac memorie.
 Natus enim is princeps & Heros fortissimus est Flens-
 burgi Anno Christi 1526. VII. Kal. Febr. hora ii. min. 30. post
 meridiem. Quibus virtutibus fuerit præditus, quasq; res gesserit præ-
 claras, nimis longum est hæc referre, nec nostri instituti. In uenis sti-
 pendia meruit apud CAROLVM V. Imp. & obsidioni Mecensi
 interfuit A. C. 1552. Dithmarsos, gentem penè in victam cum fra-
 tre IOHANNE & FRIDERICO II. patruele Rege sub-
 iugavit A. C. 1559. Militavit quoq; PHILIPPO Hispani-
 arum Regi in Belgico A. C. 1568. ac tandem Gottorpiæ corporis
 mortalis excursum depositis in caelestem migravit aulam Kal. Octob.
 A. C. 1586. intra sextam & septimam macutinam, cum annos vi-
 xisset LX. menses octo, dies quatuor, horas septem, princeps magnani-
 mus, summaq; tam bello quam pace spectatæ virtutis. Ejus laudes
 vir doctissimus ornatissimiq; M. NICOLAUS PETRÆ-
 US Husanus Holsatus persecutus est oratione eruditissimâ & ele-
 gantissimâ. Quam cum à nobis pro officio, quo in præseni fungimur,
 peteret, ut potestatem recitandi publicè crastino die, utpote qui principi
 & Heroi fortissimo natalis est, faceremus, hoc facitè & nullo
 negotio impetravit, ac quidem merito. Prædicari quippe vitæ sanctos
 ac inprimis principes viros, qui Reipub. Christiana præfuerunt ac pro-
 fuerunt multū, atq; adeo ab eis, quos beneficiorum acceptorum memori-
 am conservare oportet, longè est acquisitum. Et quid utilius, quam

A 2

propo-

proponere exempla maximè nobilia, à quibus non tantum, qui summa rerum gubernacula teneant, verum etiam alii inferioris ordinis capi- ant, sibi quod sit ex usu? Tacemus inrerim fructus hujus exercitati- onis dicendi infinitos. Id saltem affirmamus, eà solà ferè studiosos consequi, quicquid in studiis laudabile se adepturos sperant. Laudamus ergò & summoperè laudamus institutum M. NICOLAI PE- TRÆI, qui ob beneficia accepta magnanimitè Heròis memoriàm ce- lebrat etiam in hac Academia nostrà, ac hortamur omnes liber alium artium & linguarum alumnos, id ut intueantur non modò verum eti- am sequantur. Sed & orationis hujus recitationi ultrò & suà sponte reverendos & clarissimos dominos Professores Collegas nostros, reliquosq; Doctores & Magistros, ac studiosos adolescentes, qui discen- di cupidi sunt & virtutem amant, frequentissimos interfuturos certò nobis persuademus. Ac ut intersimus, hoc debemus non tantum lite- ris ac virtuti, doctissimoq; M. PETRÆO, orationem recitanti: Verum imprimis memoria defuncti Principis ADOLPHI: De- bemus hoc reverendissimo & illustrissimo Principi JOHANNI ADOLPHO, Archiepiscopo Bremensi, Episcopo Lubecensi, Hol- satia Ducis, &c. ADOLPHI filio optimo ad patris scepra jam se- denti, domino clementissimo: debemus deniq; hoc toti domui Holsaticæ illustrissimæ. Et nos imprimis majorem in modum prædicamus summam clementiam & beneficentiam, quã illustrissimus Princeps JOANNES ADOLPHUS in arce suã Tritrou per Capi- taneum suum Dn. Nicolaum à Wische, Dn. Cancellarium Jonathan Gutsloff, & Dn. Decanum Lubecensem Ludovicum Pincier, utrumq; legum Doctorem eximium, nos unà cum collegâ Hildebrando à Saldern, paucos ante menses, ubi Cæsareum expe- diebamus mandatũ & commissionẽ, excepit, ac pro hac regiã beneficentiã ad gratitudinem perpetuam nos devinctos fatemur. Quamobrem ut omnes Collegæ reliquiq; nostræ jurisdictioni subjecti cras ad horam IX. hic nobiscum conveniant: & orationi elegantissimæ, laudibusq; defun- cti ADOLPHI, Principis & Heròis fortissimi, diligenter auscul- tent, summoperè ac vehementer eos invitamus & rogamus. Pro- positum Rostochii, VIII. Kal. Februa. qui conversioni D. Pauli sacer est, Anno M. D. XCVI.

ORATIO.



QVOD IN FREQUENTI ET publicâ hac coronâ, Magnifice D. Rector, Reverendi, clarissimi & eximii viri, Præceptores colendi, vosq; studiosissimi Juvenes, & auditores reliqui: quod, inquam, in frequenti & publicâ hac coronâ proferetur; si spectetis, à quo: vile & obscurum erit: si spectetis, de quo: amplum & illustre. Nam si me ob angustum annorum terminum, ob humilem ingenii cultum, ad hanc cathedram, & ad has voces non satis instructum, paratumq; esse judicaveritis, nō movebor: quin & vos insuper impensè orabo, ut ad istud vestrum iudicium adscribatis & meum. At si magnanimum Herœim ADOLPHUM beatæ & sanctæ recordationis, illustrissimum quondam HOLSATIÆ PRINCIPEM, dignum reputaveritis; cuius memoriam in hac cathedrâ renovem: cuius virtutes celebrem: cuius res præclare & fortiter gestas proponam; justitiæ oculos in vobis esse dicam: & illud ipsum quoq; ADOLPHI manibus enarrabo. Ego siquidem id præstare, non tantum ob ADOLPHI in patriam nostram merita, debeo: sed præterea ob Reverendissimi & Illustrissimi Principis, IOANNIS ADOLPHI, ADOLPHI filii optimi, filii sincerissimi, ad patris sceptrâ jam sedētis, in me beneficia, & insignem clemētiam, cogor & pertrahor, ut erga Celsi: ipsius animi mei grati & memoris qualemcumq; significationem submisē declarem. Neq; verò ququam, ut opinor, vitio mihi vertet, quòd Principem jam defunctum, immortali tamen memoriâ dignissimum, ju-

B

stis

stis extollo laudibus: cum & superioribus seculis, & hoc
præsenti plurimos eosq; præclaros viros idem suis prin-
cipibus, suis regibus præstitisse videamus, legamus.
Equidem, laudare optimum principem, ac per hoc po-
steris velut è speculâ lumen, quod sequantur, ostendere,
multum utilitatis habet, arrogantiae nihil. Ita judicant
omnes, qui de his talibus rectè judicât: quibus, quin vos
quoq; accensendi sitis, cur dubitem? Quocirca vos oro,
vos obtestor, ut me de fortissimo HEROE, ADOLPHO
HOLSATORUM quondam Principe, hoc ipsius natali
die, exiguo temporis spatio, ex iustâ in Principem incli-
tum & incomparabilem vestrâ affectione patienter & æ-
quanimiter audiatis. Id, ut spero, gratum domui *Holsati-*
ca; vobis dignum; mihi optatissimum eveniet. Dica-
mus ergò. Sed non de ADOLPHI avavis, proavis, a-
vis, patre, & aliis majoribus. quis enim illos non novit?
cui ignotus est avus paternus, ut reliquos præteream,
CHRISTIANVS I. Daniæ Rex? & hujus in regni ad-
ministracione dexteritas, pietas, & gloria quem latent?
quis est, cui FRIDERICI I. Daniæ Regis, patris opti-
mi, patris celsissimi, excelsa gravitas, & in rebus omni-
bus iustissima moderatio sint incognita? Sed non etiam
de fratribus: nam si de his dicendum, vox & tempus
me deficerent. Adspicite CHRISTIANVM III.
Daniæ Regem, & hujus ô miram pietatem! impensissi-
mum pacis studium, & regiam comitatem. Adspicite
IOANNEM Seniore[m] Ducem Holsatiæ, hujus clemen-
tiam, beneficentiam, & erga Scholas & Ecclesias ma-
gnam amorem. Quales quantiç; illi Herôes! Deos è
cœlo in terras descendisse, & tùm imperiorum in his or-
bibus administracione hominibus præfuisse dixeris.
Virtutes igitur ADOLPHI inspiciam, & ex magno re-
rum

rum fortiter ab illo gestarum cumulo, quasdam proponam: utraq; vere celebrabo, utraq; admirabor: ut memoriam TANTI HEROIS renovemus; ut alii cognoscant; ut alii imitentur. Et prima virtus nobis merito PIETAS; in cujus scholâ cum à primis usq; annis fideliter educatus & institutus esset; fideliter quoq; ad ejus normam per totum vitæ cursum ad extremum usq; habitum vivebat: recto de DEO sensu, & recto in DEVM cultu. quibus duobus Pietas constat firma & integra; sine altero, mutila & manca. Sēsu recto; cum de DEO & ejus voce rectè & constanter semper sentiret, piè cum conjuge, liberis & consiliariis loqueretur. Recto cultu; cum eundem Deum ex verbo cognitum piè & purè veneraretur: verbum ejus libens, lubensq; publicè, privatimq; à verbi ministris devotè audiret: juxta illud omnes suas actiones institueret: sacrâ Domini cœnâ septiis magnâ animi humilitate uteretur. Ita totus optimus Princeps pietatis semper studiosus erat. Videbat enim diligenti experienciâ edoctus sine hac nihil in humanis stabile, nihil firmum: omnia retrò ferri, & mirabili Dei manû disturbâri. Videbat principes & reges plurimos ob hujus contemptum, ob hujus neglectum, sæpè à Deo punitos; sæpè in exilium ejectos; sæpè cum totâ stirpe extinctos. Ita est. Vides paxillos, nisi benè fixi firmiter alicui fortiori adhæreant, & omne quod in eis pendeat, citò dilabi, & ipsos solutos ob infirmiores ahhæsiōnem cum oneribus ad terram prouere. Vides ita principes, nisi DEO suo conditori pertinaciter adhæserint, & ipsos, & omnes, qui eis consentiant, citò deperire. Liberos etiam suos ob ista ad hanc Divam duci, in hujus Lycéo sanctè informari & erudiri unicè volebat, acriter studebat. Amabat & colebat verbi ministros; eorundem

admonitiones patientissimè audiebat, perpetuò sequebatur. Monebat, ut functionibus suis verà fide & sanctitate præessent, plebemq; suæ fidei commissam gnæviter informarent, & rectâ viâ ad coelestem patriam ducerent. Loquebatur sæpe cum illis perhumaniter; muneribus & clementiâ singulari, suam erga illos propensam voluntatem declarabat: magno & forti animo defendebat. Quin & in totâ suâ ditione à D. Luthero repurgatam & Augustanâ confessione conscriptam de DEO & hujus voluntate doctrinam summo conatu promovebat, perpetuâ constantiâ tutabatur. Scholas & harum gubernationem inspiciebat: rectè regi volebat: pueritiam in pietate & honestis moribus legitimè institui & educari mandabat. Scholarum ministros stipendiis honorificis ornabat, & illustri clementiâ prolequebatur. Quibus omnibus suis liberis, aliisq; principibus exemplum præbere, & calcar ad similia facienda addere studebat. Equidem cùm huic virtuti, ut aliarum omnium fundamento & basi tam seriò sese daret, hoc inde consequabatur; ut Deum semper benignissimum sui & suorum in omnibus consiliis, actionibus & periculis haberet protectorè; ut omnium oculos in sui admirationem converteret. Ita etiam erigebatur, ut omnes vitæ humane adversitates fortè ingruètes, ut multæ sæpè in his angustiis ingruunt, alacri & constanti animo, vel contemneret, vel perferret: nam ut in mari ventis ex adverso inter se cõcurrentibus, mediâq; naviculam, dum inter sese depugnant, corripientibus, ac multis fluctibus partim à proâ, partim à puppi insurgentibus, gubernator clavo âsidents, servat naviculam, undarum fluctuumq; incursum gubernandi peritiâ & prudentiâ depellens; ita hic heros

adver-

adversæ fortunæ telis & ludibriis non per aliquot dies,
sed per totam vitam, pietate solidâ instructus, pie resi-
stebat, eademq; animo præstanti perferendo, sese suppri-
mi non patiebatur. Ita beat hæc virtus suos cultores: ita
instruit: ita sustentat. Veneremur igitur & nos hujus ve-
stigia. veneremur? imò & adoremus: ut nos & nostros
DEVS protegat: ut variis vitæ hujus calamitatibus non
succumbamus; sed animū nostrum istâ tamquam alexi-
pharmaco adversus omnes fortunæ procellas & turbines
muniamus, roboremus. At, proh dolor, quocumq; fle-
ctamus oculos, impietas: quocumq; flectamus mentem,
impietas. Id deploramus. Cum verò PIETATE & JUSTI-
TIA Principes DE OS in his terris fieri intelligeret; ISTAM
quoq; omni studio observabat: eo magis; quod etiã per-
spiceret, istius luce absente, & principatum suum non il-
luminante, nimbos & tenebras adventuras. Sciebat hac
ademptâ regna nihil esse aliud, quàm magna latrocinia:
quæ ut nunquam in suâ provinciâ exerceri pateretur,
hanc colebat. Administrator & exsequutor JUSTI-
TIÆ erat; sed non pro suo lubitu; sed pro legum mo-
nitis; cum & seipsum legibus subjectum esse statueret.
Unde & istas sancte & inviolate, ut ditionis suæ fulcra
& asyla, servari mandabat: his enim sublati omnia re-
gna corruere, omnia ex sese misere perire, videbat.
Rectè. quòd enim homo sine ratione aut animâ, id re-
gnum sine legibus. Imò has ipsas sæpius legebat & re-
legebat, ut in illis nihil inveniretur, nisi quòd ad duc-
tus sui utilitatem, cujus causâ conscriptæ essent, rectè
promovendam, conduceret. ô quàm pulchrè! si enim
ex medicinâ nihil oportet proficisci, nisi quòd ad corpo-
ris, cujus causâ instituta & inventa, utilitatem spectet:

quantò magis id in legibus observandum; quibus regna & imperia tota regenda & corrigenda. Caussas actoresq; frequenter ipse audiebat; ita, ut accusatori alteram, defensori alteram aurem præberet. Iræ adfectibusq; in causis dijudicandis non indulgebat; sed legum semper justitiæq; præcepta spectabat. Personarum vel gravitatem, vel auctoritatem, vel opes, vel ætatem non considerans, ut sol non est alius diviti, alius pauperi; sed omnibus communis; ita unus & idem erat egeno & opulento: imò omnibus idem. Ob magnorum virorum preces & intercessionem rarissimè reis vitam donabat. Munera contemnebat. Nemini nocebat, nisi lacepsitus; sed & tùm lentè admodum; semper consultò & meditatè. Sontes & reos poenis suppliciiisq; plectebat; insones liberabat, defendebat, erigebat; malorum omnium osor acerrimus; bonorum amator clementissimus. Talis; non intra quinq; annos uno tantum die, ut illi olim in certaminibus olympicis, sed per omnem vitam, in omnibus suis actionibus, in omnibus suis judiciis.

Hæc est vera justitiæ norma; hæc sana regula: ad quam & se & suos dirigebat. Illos verò, quos muneribus capi; quos justitiæ præcepta fallere; quos insones premere, & personarum respectum in judiciis habere videbat, non tantum ad faciem suam non admittebat, sed sæpè etiam ab officio remotos puniebat. Hæc mirentur & magnifaciant illi, qui magnum illum justitiæ splendorem magnifaciant & admirantur. O vitam admirandam! ô vitæ viam semper terendam! ô actiones semper imitandas, perpetuâ laude celebrandas! nec injuriâ. nam & in vulgari & plebejo homine justitiæ faciem, justitiæ fulgorem, & facta, quis est qui non laudet? qui non miretur? Cur non igitur in tanto quoq; Heròe, in tanto
Prin-

Principe? Non tamen in hac justitiæ administratione erat Rhadamantus, non Minos: Sed Agefilaus & Aristides, nec leges suas sanguine scribebat, ut Draco; sed atramento, ut Solon.

Erat justitiæ cultor; sed & CLEMENTIÆ; virtutis homini omnium virtutum convenientissimæ, & humanissimæ: at nulli tamen ex omnibus magis, quam regi, quam principi competentis.

Crudelis non erat: sævus non erat: tyrannus non erat: clemens erat: mansuetus erat. Noverat humanam conditionem: omnes labi & peccare, quâ privatim, quâ publicè; neq; ullam legem tam validam esse, quæ hæc tolleret: nec reges; nec imperatores ipsos; nec sanctissimos quosq; sine peccato, sine errore vivere. Videbat severitatem nimiam assiduitate amittere auctoritatem: videbat sæpius vindicata, sæpius committi: sævitiam plus timoris, quam potentiæ addere: videbat terrore venerationem malè acquiri, longèq; valentioram amorem ad obtinendum, quod vellet, quam timorem: videbat crudelia & tyrannica imperia magis esse acerba, quam diuturna: neminem à multis metuendum esse, quin ex multis ad eum formido recidat: videbat crudellem, bellum æternum & anceps gerere, neq; adversus, neq; ab tergo, neq; à lateribus tutum esse; sed semper in metu, aut periculo agitare: videbat potentiam sine clementiâ esse meram tyrannidem: nullâq; re homines ad Deum propius accedere, quam salute hominibus dandâ. Reflecebat oculos ad priora secula, quibus videbat clementiâ imperia temperantibus candida & læta omnia fuisse: etiam hostes æquiores, quam aliis cives. Hæc perspiciebat. Et considerabat summum jus, summam esse crudem; ideoq; temperabat; ideoq; mitigabat: noxios interdum eripiebat; afflictis parcebat; lapsos erigebat; & serva-

servatum ibat eos ipsos, qui se erant perdituri. Imitabatur bonos agricolas: imitabatur bonos musicos. Illi non tantum rectas bonasque arbores colunt, sed illis quoque, quis aliqua depravavit causa, adminicula & pedamenta, quibus reguntur, subministrant: alias circumcidunt, ne proceritatem rami premant: quasdam infirmas vitio loci, nutriunt: quibusdam alienam umbram laborantibus coelum aperiunt. Isti chordas dissonantes non statim abjiciunt atque incidunt, sed sensim intendentes aut remittentes ad harmoniam & concentum adducunt. Hic item Princeps non tantum bonos probosque defendebat: sed & errantes & peccantes in viam reductos, suam auctoritate corripbat: nec hos statim ferro flammamve tollebat, sed emendabiles leniter emendabat. Ostendebat omnibus, se subditorum suorum non Dominum, sed Principem; civium liberorumque, non servorum, rectorem, & patrem esse. Hac sibi omnia conciliabat; amorem cum primis subditorum: atque ex hoc non exiguam in principatu suo securitatem. Quis enim ignorat, nec excubias diligentissimas; nec tela circumstantia; nec decies mille catapultas aut arietes; nec centies mille tormenta; nec muros Babylonios, sic regna & reges turbari; quam amorem? Frangant hostes cetera vi & fraude: haec arx inaccessa: hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere: amore communitum esse; securitate posse frui, posse uti. Hac sibi conciliabat subditorum obedientiam: & ex hac principatus sui stabilem & immotam firmitudinem. Cui enim non est apertum, firmissimum & aeternum fere imperium esse; in quo obedientes gaudent? cui item non liquet, invisa imperia neminem retinere diu? omnia talia cito collabescere, & in chaos ruere? quod posterius ne in suum duca-

ducatum caderet, clementiã cunctos amplexabatur. Sed certè cum iudicio. Sine quo quid aliud clementia, quam lentitudo? quam peccatum? quam flagitium? Secedebat paululum à summo iustitiæ rigore: sed secedebat; non discedebat. clemens erat, & tamen iustus. iustus erat, & tamen clemens. Clemens totus non erat; ne omnia jura everteret; ne pacatam vitæ societatem tyrannidi & latrocinii cuiusvis subjiceret; ne sanctas & venerandas à tam illustribus maioribus pro iustitiã datas & prolatas leges, aboleret; ne turpitudinis & vitiorum colluviei fenestras aperiret. iustus totus non erat; ne pestem & perniciem suæ ditioni inferret; ne tyrannidem in suos cives exerceret; ne ducatus sui muros, Amorem & Obedientiam, dirueret. iustus igitur erat & clemens. Transgrediebatur interdum, ad clementiæ commodum, iustitiæ & æquitatis terminos: sed cautè; sed consultò; sed magnas ob causas. Id laudandum. Non omnia, quæ sciebat, omnia vindicabat: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodabat: non poenã temper; sed sæpitiis poenitentia & lacrumis contentus erat. Ô principem omni laude; Ô æterno nomine dignissimum! quod si quis negaverit, bruta animantia advocabo, ut hunc conculcent; ut illud adseverent. Nos probemus. Ex iustitiæ stirpe in ADOLPHO FIDES pullulabat; imò radices altissimas agebat. quam semper suis datam fidè sanctèq; servabat: imò & hosti datam servabat, sanctamq; habebat, tam privatim, quam publicè. Hac maximè Romani aliarumq; gentium majorum rectores suam rempublicam continuerunt, firmarunt; hac item suam, HIC HEROS. Hanc in Capitolio vicinam jovi optimi maximi, Romani esse voluerunt: hanc item Princeps noster in animo suo iustitiæ adsidere. Hanc,

C cùm

cūm perspiceret humani generis esse columen; & omnes virtutes ab hac, si sanctè colatur, ut sidera à sole, fulgere: & sine hac omnes alias heroum virtutes obscuriores fieri; sanctè colebat. Cui enim unquam ille fidem non servavit? cui istam speratam excussit? non etiam perfidis: cūm perfidiosum & nefarium duceret, hanc frangere, hanc contaminare. Ex clementiæ porro stirpe eflouescebat in animo ADOLPHI MODESTIA, lenis mitisq; animi assidua comes; cum aliis virtutibus hominibus omnibus commendanda; sed maxime principibus. quid enim isti & illi omnes aliud sunt, quam cinis? quàm pulvis? quàm terra spiritu vivida? de cuius māsione cum ne ad momētum quidem certi esse possint; heu mihi, in quā fragili & infirmo statu versantur! hodie sceptris, coronâ, gladio, auro, gemmisq; ornati & onerati ingrediuntur: cras, abeunte spiritu, linteis involuti, tumbæq; impositi, in cineres, in pulverem vertuntur. Hæc excitabant nostrum principem ad modestiam, quam calidè satis exercebat: perspectum enim cognitumq; habebat, famam huius neq; summis mortalium aspernandam; & à Deo æstimari. Sciebat omnia caduca, incerta & fragilia: opes & vires humanas puerilibus erepūdiis consentaneas: scepra & fasces regna non continere: ob hæc numquam insolescebat; numquam efferebatur: sed non minus hominem se, quàm hominibus præesse agnoscebat. subditorum suorum non tantum animis, sed & oculis serviebat. Sermo modestus, cultus modestus: statuebat enim multò pulchrius, magisq; regium, animum præferre cultum & compositum, quàm corporis vestem. Fortunam lubricam esse, noverat, nec invitam teneri posse: unde manibus eam pressis continens, felicitati suæ frenos: im-

imponerebat, ut facilius eam regeret. Modestiam sic colebat; sed tamen, ut par erat, cum **AUCTORITATE**, cum **MAIESTATE**: non erat perpetuò in vulgi conspectu; ne hac fatietate minus se verendum faceret. Modestus; at etiam Magnificus: visu profectò & auditu juxta venerabilis.

Fastum, superbiam, & his infectos non tantum odio prosequeretur, sed etiam inter suos & in suis non patiebatur. Ex modestiâ insignis **ADOLPHI** profuebat **COMITAS**, & **HUMANITAS**. Loquebatur cum nobilibus; humanus erat: loquebatur cum civibus; humanus erat: loquebatur cum rusticis; humanus erat: loquebatur cum divitibus, cum pauperibus, cum eruditis; erga omnes comis & humanus. His multa tollebat; multa corripiebat; quæ alii neq; securi, neq; forcipibus correxissent: intelligebat enim nec ferrum ignitum aquæ injectum, tam citò posse extinguere, quàm hominum animos devios & inflammatos, humanitate admotâ emolliri. Comis erat; sed cum **GRAVITATE**: ut hac etiam suam apud subditos auctoritatem adfereret. Quid dicam de ipsius **LIBERALITATE**? de ipsius **MAGNIFICENTIA**? quam utranq; per sæpè declarabat: numquam ostentabat. Illam; cum nihil hominis naturæ videret esse accommodatius: regaliusq; cum Artaxerxe Longimano addere, quàm adimere judicaret. Liberalis erat; sed cum mente; quâ semper personarum, quibus dabat, circumstantias & conditiones perpendebat: & cum modo; ne nimis hauriendo fontem ipsum exhauriret. Et illam ipsam exercebat, non inanis gloriæ, sed tolius honestatis & virtutis studio: ut honestam de se famam propagaret; ut benevolentiam civium suorum sibi conciliaret; ut inopiam pauperum sublevaret.

Istam, quis est, qui non novit? Inspiciat scholas ab illo erectas & sustentatas: inspiciat monumenta majoribus posita & dicata: inspiciat arces filiis exaedificatas: inspiciat: & mirabitur.

IN AFFECTIBUS MODERANDIS DEUS bone, quam moderatus, ille erat! iram numquam, nisi ubi conveniebat, locum dabat, sed semper supprimebat; tantoperè, ut ne in ministros & servos quidem animadvertere voluerit commotior: idq; ideo, ut animi sui fortitudinem privatim etiam singulis declararet: quod sciret, fortius esse, istam superare, quam hostem in panopliâ stantem deicere: & non minus exitii mortalibus ab irâ fieri, quam ab hoste. Numquam in illo oculi truces; numquam in illo os turbidum & immanis clamor; numquam rubor effervescent; numquam pudenda & poenitenda verba; numquam trepidatio. Vindictam de calumniatoribus non fumebat; sed eos tolerabat & ridebat: imò cum Antigono Macedonum regem patientiâ regiâ confundebat. Convitia spernebat: levitia; quod putaret in gente liberâ, liberam etiam aliquo modo linguas esse debere. Placidus erat atq; tranquillus; & injurias atq; offensiones privatas superne despiciebat. Spernebat convitia; ne, si secus faceret, agnita viderentur. Spernebat, ut spreta exolescerent. Ita in magnâ suâ fortunâ magnum quoq; habebat animum. FAMÆ non exiguam rationem habebat; cum omnes principum actiones, omniaq; consilia ad hanc præcipue dirigenda, cognosceret: Unde mirifico flagrabat studio, ut posteritati honestam sui memoriam & celebrationem relinqueret; & post mortem quoq; viveret, floreret. Ad hunc finem litteras & litterarum cultores amabat, promovebat, eisq; spiritum & sanguinem addebat. Et litteras

ab

ab eo impensè amatas fuisse, eo apertum argumento;
quòd duos filios suos natu majores FRIDERICUM &
PHILIPPUM sanctæ recordationis; non tantum in li-
nu suo diligentissimè institui & erudiri curabat; sed eti-
am, quod eosdem ipse, post percepta ab illis litterarum
rudimenta, ad prima comitia à Rudolpho Imperatore
Augustæ indicta profecturus, in celeberrimam Acade-
miam Heidelbergensem ad uberiorem ingenii cultum
capescendum perducebat; ibiq; eos cum egregio Holsa-
ticorum nobilium comitatu, & clarissimo præceptore
Antonio Caucio per biennium ferè, haud exiguo sum-
ptu versari; & certis postea de causis ad Argentoraten-
sem Academiam commigrare, inibiq; aliquandiu suis
studiis operam impendere, volebat: quod & fecerunt:
in utrâq; Academiâ isto studio, ut vterq; non tantum La-
tinam, Græcam & Gallicam linguam satis feliciter cal-
luerit; sed etiam animum suum assiduâ & diligentissi-
mâ historiarum lectione, & ex hac rerum memorabili-
um in orbe passim gestarum exemplis excoluerit, in-
struxerit. quibus ita magnanimus parens ADOLPHUS
delectabatur, ut haud obscure omnes docti ipsius in bo-
nas litteras amorem inde perspicerent. Nec jam profec-
tam, quot sumptibus cænobium Bordscholmianum, &
certos in Academiis stipendiarios quotannis sustentârît
nota enim illa & aperta. Sed, ut progrediamur: quid di-
cam de singulari ipsius in rebus deliberandis & agendis
PRUDENTIÂ? quid dicam? parum hic rectè ob scopum, at
multum meritò: ut enim Cyclops apud Homerum
oculo ab Ulyssè privatus, manus quoquo versum, nullo
certo scopo, porrigebat: ita Princeps, cui desit prudenti-
a, quidvis aggreditur, ingenti quidem rerum tumul-
tu; sed nullo judicio. Contra. ut, spirantibus Etesis,

mare tranquillum & pacatum: ita in principe, prudentiâ regnante, omnia tranquilla & florentia. Et certe omnia imperia sine hac non tantum infirma; sed ferè nulla: cum hæc non tantum firma; sed vera quoq; & clara. Id huic HEROI quoq; notum: unde vim & potentiam suam temperabat hac prudētię mixturâ: sine quâ omnis potentia abit in noxam & perniciem. Et quia videbat omnem rationem & institutionem vitæ adjuncta hominum desiderare; præcipuè verò Gubernatoriam; nec principem suâ scientiâ cuncta posse complecti: nec unius mentem tantæ molis esse capacem: nec tot & tantos principum labores posse carere adminiculis: nec unum omnia audire; nec unum omnia videre: nec eminentes viros unquam imperium suum sine adiutoribus administrasse; de suâ unius sententiâ numquam omnia gerebat; sed amicos & consiliarios in consilium assumebat. non autem quosvis; sed fidos, probos & prudentes; auctoritate, eruditione & iudicio senes; usu & experiētiâ rerum instructos: semper istos; quos ad Lydium virtutum lapidem ipse terigisset. Cum his consultabat & deliberabat: ita, ut eorum consilia & monita caute & prudenter audiret. si bona; sequeretur: si mala; vitaret: si ambigua; inquireret. Ubi tamen semper ferè cum Marco Antonio imperatore æquius esse existimabat, ut ipse tot taliumq; amicorum consilium sequeretur, quam tot talesq; amici suam unius voluntatem. Redigebat subditos ad obedientiam: non vi, sed leni hoc prudētię fræno. Hujus auspiciis plura, quam telis & manibus gerebat: multa naturâ impedita expediebat. implexa verò nimisq; ardua DEO soli committebat. Verba aule blandientia numquam audiebat: occulta & familiaria consilia, ut dignitatem nullam habentia, negligebat.

In con-

In conjugio cum conjuge suâ **CHRISTINA** verè
christianâ heroinâ **PHILIPPI** illustrissimi **LANDGRA-
VII HASIÆ** filiâ indissolubili & inculpabili amoris,
pietatis, castitatis, & aliarum virtutum conjugali-
um nexu semper vivebat. quæ ipsi quoq; præter filias, quin-
que filios peperit. Inter quos, **CHRISTIANO** ante patrem,
FRIDERICO & **PHILIPPO** post patrem fato nimis
maturo ex hac mortalitate ereptis, **IOANNES ADOL-
PHUS** Archiepiscopus Bremensis, Episcopus Lubecen-
sis, Dux Holfatiæ, &c. ad patris sui magnanimi Herois
gubernacula hodiè residens, magnâ pietate, justitiâ, au-
ctoritate, amore erga litteras & litteratos, & aliis regis
virtutibus summâ cum laude patrem suum **ADOL-
PHUM** verè refert. jam tandem **FORTITUDINIS,
MAGNANIMITATIS, ET RERUM AB ADOLPHO
GESTARUM** campum ingrediamur: verè campum,
quis enim unquam de his satis copiosè, satis graviter,
satis dignè dixerit? taceat Demosthenes; taceat Cicero:
nam hi ipsi quoq; pro verâ harum dignitate non satis ef-
fent dicturi, si viverent: nedum nos. Non ergò dicemus;
sed recensēbimus: non omnia; quî enim hæc hora & hæc
papyrus omnia caperet? sed quædam; nec fusè; sed stri-
ctè. Audiamus. A primis statim annis satis clarè in eo he-
roicus et magnanimus elucebat animus: ad magna et cel-
sa natus; ad militiæ studia pronus. Oculi ardentes: facies
gravis & severa: statura erecta & regia: vox clara & sta-
bilis. quis ex his non magna sibi promisisset? promise-
runt sibi multi: nec vanè. Nam sub primæ juventutis fug-
flexu & cursu, ut viam testâdis heroicis animi virtutibus
in illustri loco latiore aperiret, sese in aulam Caroli V.
Romanorū imperatoris potētissimi cōferebat: ibiq; stre-
nuè, maximâq; cū laude, maxima item cum admiratione
mili-

militabat: exteri ipsum suspiciebant: familiares venerabantur. Tot in eo virtutum regiarum lumina accensa videbantur. In castris Metentibus vidisses Achillem aut Hectorem in pugnâ; verius ipsum Martem: Nestorem aut Ulysses in consiliis: Marium aut Scipionem in adhortationibus ad milites. quis enim ibi in rebus dubiis & lapsantibus fortitudinem & magnanimitatem ejus non est expertus? quis non ejus in agendo industriam cognovit? cui non celeritas ipsius in conficiendo profuit? Vos id novistis, ô tribunorum, signiferorum & militum manes! qui cum eo, & sub eo isti militie dediti eratis. Tu quoq; CAROLE Imperator, optimè istud noveras. quis enim aliter judicet qui cõsideret tuum amorem; quo eum complectebaris: qui adspiciat tua premia; quibus eum ornabas: qui multa alia repetat; quibus eum honorabas. Et audeo adfirmare, magnam laudis partem rerum à TE ito tempore gestarum ad ADOLPHUM pertinere: cum id tuus etiam filius PHILIPPUS Hispaniarum Rex haud obscure adfirmarit; eo argumento & signo; quod magnanimum hunc æternæ recordationis herodem ad belli difficilis & diuturni in Belgia societatem, regis & magnificis sæpius promissis, & humanissimis litteris invitavit, vocavit.

Non jam memorabo quàm fortiter sese in spectaculis & certaminibus publicis certando gesserit. jacete ephippiati equites, comites, barones in pulvere, ab hoc HERÔE ex ephippiis elevati, detrusi. jacete; & mentore vos ab ADOLPHO victos & superatos. Gaudete autem, quòd non à vulgari, sed à TANTO HERÔE victi. In hac CAROLI aulâ cum clades majorum suorum à Dithmaris olim acceptas aliquoties sibi objectas audivisset: ex istâ ad suos reversus, quâ ratione ma-

ne magnas illas & nefandas injurias majoribus suis illatas vindicaret; insolentis & præfracti populi veteres etiam injurias novis indies accumulantis ferociam comperceret; & Dithmarsis rebellibus bellum commode & feliciter inferret, consilia in animo agitabat.

Neq; diu differebat; sed CHRISTIANO III. Daniæ rege, fratre natu majore, qui hætenus pacis & quietis studio à bellicis tumultibus & lituis abhorrens diffusærat, ex hac vitâ sublato, statim, conscriptis clam militibus, & deinde communicato cum FRIDERICO II. Daniæ rege designato fratris filio, & fratre IOANNE Seniore consilio, & iisdem in auxilium vocatis, forti & imperterrito animo bellum Dithmarsis more bellico per litteras tribus sigillis, regis ducumq; obsignatas & ad bacelli candidi cuspidem suspensas, denunciabat, & tertio post die continuo exercitum in hostium fines perducebat. Sæpius Dithmarsis, naturâ fortes & bellicosi, pro barbarâ suâ libertate fortissimè pugnant; & felicissimè: tantâ etiam audaciâ, ut aliquoties in summas angustias redacti & penè deleti, animis tamen receptis furore & insaniâ quasi agitati prælium renovarint, & victi victoriam à victoribus contra omnem spem & expectationem reportarint. Nam, ut taceam alias victorias: quis non novit HENRICUM Holsatiæ ac Stormariæ, & IOANNEM Vagriæ comites à Dithmarsis prælio superatos, & maximâ suorum parte profligatâ, cum paucissimis eruentâ fugâ hostium manibus sese eripuisse, & vitæ consuluisse? Cui non constat GERHARDUM & IOANNEM comites Holsatiæ cum quatuordecim extraneis ducibus in auxilium à se evocatis, victores jam, & aliquot mille Dithmarsorum cæsis, à victis in sacram ædem coactis, & jam igne in eadem comburendis, sed ob præ-

sens exitium, & miserabile mortis genus in desperationem adactis, & furenti impetu ex æde illâ per ignem circumjectum in hostem proruentibus, aliisque; ex fossis hinc inde, notisque; latibulis in auxilium venientibus, debellatos? duobusque; millibus militum, & duodecim ducibus interfectis, GERHARDUM & HENRICUM MEGAPOLENSEM cum paucis aliis vix incolumes elapsos? Quem item latet exercitus IOANNIS DANIÆ REGIS, & FRIDERICI fratris PRINCIPIS Holsatiæ miserima clades? quis enumerabit aut deplorabit satis tot equitum nobiliumque; fortissimorum à Dithmaris caeforum strages? quis item satis crudeliter Dithmariorum contra omnium penè gentium consuetudinem & mores, infandam immanitatem depinget? quâ tot heroum corpora, nullo quantumvis magno oblato argenti aurique; pondere redimi, sed feris alitibusque; in prædam relinqui & sub dio per agros in fossis lacunisque; insepulta jacere & putrescere voluerunt. Has dedecoris notas non tantum suis majoribus, sed universæ quoque; genti Cimbricæ iniustas ADOLPHUS iustissimo dolore morus abstergere, & suâ fortitudine suisque; armis vindicare tentabat. Exercitu igitur jam ad fines hostium perducto: statim ADOLPHUS heroicam animi sui fortitudinem & magnanimitatem; in militiâ singularem experientiam; in patriam incredibilem amorem, omnibus probabat: nam milites ipsos ad fortitudinem & constantiam in pugnâ hortabatur: sæpius eorum acies dispositas inspectabat: sæpius auctoritate suâ continebat: & omnium animos suâ prudentiâ & in rebus bellicis industriâ ad prælia cum hostibus committenda alacerrimos efficiebat. Ubi que; ferè præsens erat; cum sciret, strenui ducis præsentiam ad victoriam plurimum momenti habere. Nec id tantum; sed etiam fugientes retrahebat; hostes invadendos

dos & persequendos, non vitandos & fugiendos esse
proclamabat; vitamq; suā certissimo objiciebat periculo.
Is eras ADOLPHI animus: ea pro suis cura. Capum Iulii
Cæsarem mihi magnificè & verè laudant historici; quòd
in prælio quodam Martiæ legionis Aquiliferum jam ad
fugam conversum, faucibus apprehensum in contrariam
retraxerit partem, dextrâq; ad hostem porrectâ, eidem
dixerit; quorsum tu abis? illic sunt, cum quibus dimica-
mus: & sic in hoc uno vinci paratos, vincere docuerit. in
hoc bello simile facinus commisit ADOLPHUS; sed impetu
majori, & vehementioribus verbis. Nam cum ad HEI-
DAM opidum Dithmarsiæ de summâ rei atrox committe-
retur præliū, & quidam Dithmarsii tres signiferos, quum
quarto suum vexillum eripuissent, cum sociis in fugam
converterent, ADOLPHUS id conspicatus, heroicâ animi
fortitudine motus, à colliculo, ad quem non procul inde
subsistebat, cum paucis, quos ad corporis custodiam jux-
ta se habebat, eò celerrimè properat; manu signiferos
corripit, utq; in hostem sese convertant, inclamat; in ista
prorumpens verba: an vos signiferi atq; milites, viros
armis exercitatos & militiæ semper deditos, tam paucis
hostibus & militiæ ignaris, imò undiq; conclusis, & jam
propè victis, tam turpiter terga præbere nō pudet? Estote
memores honoris & existimationis vestræ; sistite fugâ;
signa in hostes semivictos convertite & pugnate. Et quia
præcedētibus diebus minus obsequiosi fuerant; addebat
& ista. Vultis novo dedecore & ignominia culpâ, quam
dudū haud levem, in itinere progredi tergiversantes com-
misistis, accumulare & exulcerare? fortiter & intrepidè
audendo gressus reflectite, si noxæ pristinæ & injuriæ
memoriam abolere & extinguere cupitis. Quod si fece-
ritis, facite autem si dem do vobis, quæcumq; nocte
quoq; præterlapsâ minus obsequenter minusq; rectè

quæ vobis sunt perpetrata, condonata vobis omnia & oblivione perenni obtrita & oblitterata esse debere. Fulmina ista erant, non verba; quorum vi, illi conversi hostibus ora vultusq; præbuerunt. De Sylla quoq; facinus pulcherrimum celebratur. Cùm apud Orchomenum milites longius evagarentur, ordinibusq; perturbatis fugam caperent, ille ex equo desiliens, arrepto vexillo in hostem convolat, ita vociferans: Mihi quidem, ô Romani milites, hic pulchrum est mori: vos interrogati, quo loco ducem vestrum amiseritis, meminertis dicere, apud Orchomenum. quâ voce suos revocavit. Hic item H E R O S simile perpetravit: non eadem lineâ, non iisdem verbis, sed eadem notâ: at majori cum periculo; imò & cum vitæ jacturâ. Nam ut signiferos militesq; jam vicissim in hostem ruentes acrius incitaret; ipse prioribus verbis vix prolatis, incitato stimulis equo, in globum agrestium perrumpit, & unum cum primis glande sclopeto breviori impulsâ petit trajicitq;. Is, vulnere haud tardante, avido vicissim & rabioso impetu insurgens in Ducem, omnibus armis, ob defatigationem ex itinere longinquo contractam, & ob anni tempus admodum æstuosum, plane exutum, in dorso supra coxendicem, quâ spinæ conjungitur, a lapardâ graviter eum vulnerat: sed graviter tantum: nam cùm videret agrestem illum furenti & exacerbato ad vindictam animo in se prorueret, aversum propè latus equi paululum se incurvans demitterat. quod nisi fecisset, lethaliter inibi ab eodẽ fuisset confossus. Cùm autẽ reliqui milites contra voluntatem etiam A D O L P H I istud perentiscerent, confestim flagranti animo, quamvis continuo viæ laborare defatigati & æstu intolerabili omnes vehementer lasi, antea ne pedem ex loco movere voluissent, in agrestes
irru-

irruūt, & universos internecioni dedunt. Equidem vulnus adeò durum & immite erat, ut ex patenti eius hiatu acceptum per os spiritum MAGNUS ILLE HEROS redderet. Hæc fortitudo, si quæ alia: hæc heroicæ & magnanimæ mentis specimina, ô quam præclara; ô quam pulchra! si virtutem spectes: sed ô quam periculosa! si grave illud vulnus. Videte, videte tanti principis corpus laceratum: videte perforatum: videte spiritum per hiatum violentum & sanguine maculatum exeuntem: videte pulmonem nativo spiritu privatum & viscera aperta: aperta ob suorum salutem: ob virtutem: ob victoriæ gloriam. Laudate mihi Iulium Cæsarem; laudate mihi Syllam: at HUNC mihi PRINCIPEM, HUNC HEROEM honorate: hoc præsertim ævo. quis enim talia jam faciat? imò quis audeat? Quamvis autem ADOLPHUS ex periculoso hoc vulnere tam graviter laboraret, ut multi de eius vita dubitarent, tamen exercitui & suis semper adesse, & salutaria illis sua consilia impertire volebat. Quin & in hoc bello generosi, celsiq; animi sui lenitatem & mansuetudinem omnibus probabat: nam cum Dithmarsii, tribus millibus eorum cæsis, per duos sacrorum mystas & epistolam supplicem à principibus pacem peterent, & inter deliberandum in ADOLPHI prætorio consilia agerentur, utrum Dithmarsios bello ad excidium usq; persequi, an deditiōne in fidem accipere præstaret, ipse primus omnium in lecto æger decumbens aperte prolixè suadebat, ut conditiones proponerentur, quibus pacem hostibus petentibus darent. quæ sententia, ut ardentis veræq; pietatis & clementiæ plena, ita omnibus arrisit, ut statim uno quasi ore probata & accepta; Dithmarsii etiam certis conditionibus, vexillis scilicet & diplomatibus I^O ANNI

regi Daniæ & principibus Holsatiæ olim ablatis, primùm
redditis, armis tormentisq; bellicis omnibus in unum lo-
cum comportatis, deprecatione veterum injuriarum do-
mum Holsaticæ & genti Cimbricæ illatarum factâ, & ho-
magio tandem sollenni ritu præstito, in fidem à Princi-
pibus recepti sint. Ita ADOLPHI MAGNANIMI HE-
ROIS auspicio, Dithmarsii in regis Daniæ & principum
Holsatiæ potestatem bello subacti & coacti pervenerunt.
Dithmarsii; qui per quingentos circiter annos principum
horum majoribus tot luctuosas itrages inexplebili sævi-
tiâ intulerant, & non liberam suam libertatem pertinacis-
simâ animorum cōstantiâ tutati fuerant: qui tot inspera-
tas incursiones in finitimos horrendâ libidine fecerant:
qui toties in principes Cimbricos virulentam immode-
stæ & petulantis linguæ proterviam effuderant: qui ob
fortunæ secundos successus inflati ita etiam insolescere
& ferocire cœperant, ut cæcâ persuasione occæcati & in-
fecti se invictos esse crederent, & regionem suam tam
insigniter, & ab ipsâ naturâ & operibus munitam nullis
viribus aut stratagematis subigi posse confiderent. illi,
illi inquam, unius mensis circuitu debellati, fusi, victi, &
ad obedientiam legitimo & clementi magistratui in per-
petuum præstandam coacti sunt. Ita ADOLPHUS ma-
culas à Dithmarsis suis majorib; aspersas abolevit: ita de-
trimentum & dedecus illis ipsis illarum resarciivit; & qui à
nullo per tot annos vinci potuerant, vicit. Hæc ADOL-
PHI virtus & in rebus militaribus industria toti orbi
innotuit: in regum & principum aulis; in nobilium ar-
cibus; in civium domibus; in Musarum Academiis
ADOLPHUS erat, omnes eum celebrare: omnes eum
susplicere: omnes honorare. His autem feliciter per-
petratis, se exteris quoq; non tantum quoad famam,
sed

sed etiam quoad faciem conspiciendum insigni nobilium virorum comitatu præbuit. Et cum in Angliam ad Reginam ELISABETHAM perveniret, maximam apud eam in existimatione ob præclaras & heroicæ virtutes, & in militiam probatam fortitudinem & peritiam fuit: tantam etiam, ut ab eadem in GARTERII spectabilem, multisque regibus & principibus ornatum ordinem cooptatus pulcherrimum istud solum; **HONI SOIT, QUI MALT PENSE,** malus ille, qui male cogitat, in perpetui amoris & benevolentiam tessaram acceperit: & plurimis insuper aliis regibus muneribus ab eadem donatus regioque comitatu dimissus sit. Sic etiam illud sua virtute & gloria promeruit, ut magno applausu Romano-germanici imperii summus belli Dux electus sit, & ad vitæ finem summam cum celebritate permanserit.

Taceo jam quam fortitudine & laude obsidioni Gothanæ & pluribus aliis expeditionibus decoris & fulgentibus armis animoque heroico suspiciendus interfuerit. Quis enim illa omnia unam oratione descripserit? alii papyro, alii pennæ reservanda. Jam si surrexerint Athenienses & suum Miltiadem; Spartani Lycurgum; Epirotæ Pyrrhum; Trojani Hectorem; Macedones Alexandrum; Poeni Hannibalem; Romani Fabium Maximum, Scipionem, Julium Cæsarem: & alii alios laudaverint: eosque maxima facinora commisisse, pro patria multa perpeffos, & gloriam immortali dignos esse contendunt: eos non culpabimus: tantum aberit, ut eadem etiam cum illis dicturi simus. Sed nos interea quoque

HUNC HEROEM, HUNC ADOLPHUM gentis Cimbricæ & domus Holfaticæ ornamentum esse, heroicis suis facinoribus animi sui virtutem palam demonstrasse, pro patria fortiter pugnasse, vulne-

wulnera perpeſſum, & alia lubrica vitę pericula ſubiſſe,
dicemus; obnixęq; rogabimus, ut pari nobiſcum mo-
deſtiã, quã ſuis, quę meriti erant, non denegavimus,
huic quoq; noſtro heroi, noſtro principi ſuas laudes non
tantum inviolatas relinquunt, ſed etiam majoribus eum
hiſce digniſſimum eſſe haud invitę, verę tamen, fatean-
tur. Gręci ſuis, qui ſe fortiter in bellis pro patrię liber-
tate adſerendã geſſerant, aliſq; beneficiis patriam adſe-
cerant, ſtatuas, vel lapideas, vel æreas, eaſq; vel pau-
cas, vel plures pro beneficiorum magnitudine pone-
bant; ut æterna eorum apud poſteros exſtaret memo-
ria. certę & hic HEROS non unã ſed multis ſtatuis ob
tot in patriam merita, ob tot inclitas, quibus fulgebat,
virtutes, honorandus eſſet: ut & poſteri hæc cogno-
ſcerent, & ad ſimilia tentanda vel perpetranda excita-
rentur. Nos quidem ob iſta merita, cüm æream,
aut lapideam non poſſimus, chartaceam hanc pi-
etatis, patrię, ſubditorum, & exterorum
nomine illi ponimus;

ILLV-

ILLVSTRISSIMO
ET FORTISSIMO PRINCIPI
DN. ADOLPHO, HEREDI NORVEGIÆ,
DUCI SCHLESVICI, HOLSATIÆ, STOR-
MARIÆ ET DITHMARSIAE, COMITI IN
OLDENBURG ET DEL-
MENHORST,

OB SUMMAS ET HEROICAS
VIRTUTES, PLURIMAQUE IN
PATRIAM MERITA,

PIETATIS ASSERTORI,
JUSTITIÆ CULTORI,
LEGUM VINDICI,
PATRIÆ PROPUGNATORI,
HUJUSQUE FINIUM AMPLIFICATORI,
DOMUS HOLSATICÆ ORNAMENTO,
ROMANO-GERMANICI IMPERII SUMMO BELLI DUCI,
HEROI CIMBRICO,
ORDINIS GARTERII SOCIO,
PRINCIPI FORTISSIMO ET MAGNANIMO,

PIETAS, PATRIA, SUBDITI, EXTERI,
ÆTERNÆ MEMORIÆ CONSERVAN-
DÆ GRATIA PONIMUS.


Hanc tibi statuam, ADOLPHE, posuimus; papy-
raceam; æream, utinam potuiffemus! nam hac quam il-
E lâte

Iam te digniorem, quis est qui audeat, aut possit inficiari?
Ex his jam, auditores, ex his, inquam, de ADOLPHI
virtutibus iudicate: iudicate, & eas suspicite: non enim
ita ad virtutum effigiem delineata, sed ad cribrum di-
cta & prolata: non ex conjecturarum fallacium lacunis;
sed ex limpidissimis veritatis fontibus hausta & petita.
Ex his etiam de rebus fortiter præclareq; ab eodem gestis
iudicate: nam de illis quoq; non ad umbram & nebulas,
sed ad fidem & lucem omnia proposita. Neq; tantum
ex his, quæ à me dicta sunt, sed etiam ex illis, quæ vobis
nota, & ab aliis decantata, ADOLPHI laudes pond-
rate. Et quæ non expressi, illa vos apud mentem
vestram repetite. Parcite verò, parcite & veniam
date; si de singulis non satis concinne, non satis dextre
dixi. Feci quod potui, quod volui, quod debui. Te
quoq; ô ADOLPHE HERO S fortis & magnanime,
te oro, ne mihi succenseas, ne me reprehendas; si hac
forfan oratione clarissimas & immortales tuas laudes
obscuravi: certe enim non volui. Voluntatem am-
plectere & mentem ingenuè enim & aperte fateor, me
amplitude laudum tuarum, & rerum à te fortiter ge-
starum multitudine oppressum, plura dicere non potuis-
se. Hic ergò subsutamus; hinc finiamus. Vos ô sancta
cœli sidera, vos oro, ut huius tanti Herois nomen inter
vos quoq; floreat, inter vos quoq; vigeat. Te quoq;
veneranda Diya, ô FAMA, te, inquam, imploro, ut
huius Herois famam & gloriam nullo umquam seculo
aboleri aut mori patiaris; sed in æternum apud omnem
posteritatem in universo mundo, etiam apud Antipo-
das propalare & conservare haud subterfugas. Te
autem, ô æternæ & adorandæ DEUS, qui Trinus in uni-
tate, & unus in Trinitate, te ađoro; te submisso animi
spiri-

spiritu obsecro, ut similes Herôas in Holsaticâ domo ex-
citare, Reverendissimumq; & illustrissimum Holsa-
ticiæ Principem IOANNEM ADOLPHUM, huius
ADOLPHI filium, Spiritu tuo venerando & adorando
illustrare, stabili & felici gubernatione, vegeto animo,
sanoq; corpore, & benedictione paternâ beare & mu-
nere, patriæq; & imperio diutissimè conservare, cle-
menter velis. Id ut facias, ô DEUS; te devo-
tissimis & altissimis suspiriis oro, rogo,
obsecro; ô DEUS.

F I N I S.





vulner
dicem
destiã,
huic qu
tantum
hisc di
tur. Gr
tate adf
cerant,
cas, ve
bant; u
ria. cer
tot in p
virtutes
ferent,
rentur
aut l

, & alia lubrica vitę pericula subiisse,
& rogabimus, ut pari nobiscum mo
æ meriti erant, non denegavimus,
erõi, nostro principi suas laudes non
relinquant, sed etiam maioribus eum
esse haud invitè, verè tamen, fatean
se fortiter in bellis pro patriæ liber
rant, aliisq; beneficiis patriam adfe
l lapideas, vel æreas, easq; vel pau
beneficiorum magnitudine pone
um apud posteros exstaret memo
EROS non unã sed multis statuis ob
ta, ob tot inclitas, quibus fulgebat,
is esset: ut & posteri hæc cogno
tia tentanda vel perpetranda excita
idem ob ista merita, cum æream,
possimus, chartaceam hanc pi
subditorum, & exterorum
mine illi ponimus:

ILLV-

